DECRETVM SACRAE CONGREGATIONIS INDVLGENTIARVM,

Quo declaratur S.MI Sacramenti Confraternitates omnes canonicè vbique erectas, vel erigendas poſſe, iux.fel.rec. Pauli III. Conſtitutiones, frui Indulgentijs, priuilegijs, & gratijs ſpiritualibus Archiconfraternitati Sanctæ Mariæ ſupra Mineruam à Sanctiſs. D.N. PAVLO V. nuper conceſſis, ac in poſterum concedendis.



Licet fel. recordationis Paulus Papa Tertius per binas ſuas Conſtitutiones conceſſerit, vt Sanctiſſimi Corporis CHRISTI Confraternitates omnes, & ſingulæ vbiuis locorum tunc inſtitutæ ac inſtituendæ iiſdem priuilegijs, conceſſionibus, Indulgentijs, gratijs, & indultis, quæ Confraternitati ipſius Sanctiſſimi Sacramenti in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſupra Mineruam de Vrbe erectæ, à ſe largitæ fuerant, ac in poſterum elargirentur, vti, potiri, & gaudere poſſent, ac deberent; quia tamen per nonnullas Apoſtolicas Conſtitutiones, & Ordinationes, quæ deinceps emanarunt; præſertim verò per recolendæ memoriæ Clementis VIII. Conſtitutionem de Aggregationibus æditam, facultates, & Indulgentiæ, tam ſupradictæ Sanctæ Mariæ de Minerua, quàm cæteris omnibus Confraternitatibus antea conceſſæ, aut abrogatæ, aut ſaltem moderatæ comperiuntur, aliaq; hoc de genere decreta ſunt, ex quibus in dubium reuocari poſſe videtur, an huiuſmodi Pauli Tertij conceſſiones priſtinum ſuum robur adhuc retineant. Congregatio Illuſtriſſimorum, & Reuerendiſſimorum S. R. E. Cardinalium à Sanctiſs. D. N. PAVLO diuina prouidentia Papa Quinto Indulgentiarum reformationi Præfectorum optans ſummoperè Sacratiſſimi Sacramenti venerationem, & cultum in dies magis augeri, ad idq; Chriſtifideles ſpiritualibus gratijs excitari, ſpeciali Sanctitatis Suæ ordine viuæ vocis oraculo habito, Decernit ac declarat, iuxta eaſdem Pauli Tertij Conſtitutiones, omnes & ſingulas Confraternitates Sanctiſſimi Corporis Chriſti vbique Terrarum hactenus Apoſtolica, vel Ordinaria auctoritate, erectas, vel de cætero erigendas, abſque noua, aut peculiari alia conceſſione, communicatione, vel aggregatione, fore, ac eſſe debere participes quorumcumque Priuilegiorum, conceſſionum, Indulgentiarum, facultatum, gratiarum & indultorum à Sanctitate Sua Archiconfraternitati Sanctiſſimi Sacramenti de Minerua per Breue dat. Romæ apud S. Petrum die iij. Nouembr. M.DC.VI. nominatim & expreſsè conceſſorum, ac in poſterum à Sede Apoſtolica concedendorum, illiſq; omnibus, & ſingulis vti potiri, gaudere poſſe, ac debere, ſtatim atque Confraternitatum earundem erectio Apoſtolica, vel Ordinaria auctoritate facta fuerit, ſeruata tamen in reliquis omnibus prædicta Clementis VIII. Conſtitutione. Non obſtan. Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis de Indulgentijs ad inſtar non concedendis, nec alijs contrarijs quibuſcunque. Dat. Romæ die xv. Februarij. M.DC.VIII

R. Cardinalis Bellarminus.

Ant. Epiſcopus Anagnin. Secret.

ROMAE, Ex Typographia Reu. Cameræ Apoſtolicæ. 1608.